









1779.

1. Blaesi, Iohannes Petrus Carolus : De restituzione  
in integrum minorum ex causa individualia majoribus  
propria.
2. Bochmerus, Georgius Ludovicus : Oratio : De  
jure cognoscendi et statuendi de tolerandis his,  
qui communem religionem in Germania approbatam  
doctrinas publice impugnant, habita inter sacra  
natalis ari deniae, Georgie Augustae anniversaria  
... cum honorum candidatus Iohanni Friderico Iber-  
hardo Bochmer, Fratru Ludovico Becktholdo Bochmer,  
Georgio Ludovicio Bruckenbergio, summis in utique  
jure honores conferret
3. Bochmer, Iohannes Fridericus Iberhardus : De jure  
occupandi statimque de bonis extinchi ordinis  
Franciscorum maxime in formula pacis Osnaburgensis.



- 4<sup>a+b</sup>: Bochmer, Iohannes Antonius Beckholte: de filio 16  
resalli successore in fendum - 2 Exempl.
5. Bochmerus, Ioh. Gottfr. Sigismundo Alberto: De probatione  
per litterarum comparationem
6. Graffen, Nicolaus, de: De eo, quod iustum est circa  
matriconia speciationem secundum statuta Hamburgensia.  
d*ia*.
- 7<sup>a+b</sup>: Murer, Henricus: De ratione Riveni Latis, quae  
inter legata iurium in reo et iurium, in personas  
acquisitionis intercedit. 2 Exempl.
8. Renatus, Albertus Contra Fiduc. : De nexus inter magi-  
stratum ac cives civitatum imperii fundamento  
ac effectu.
9. Rosde, Hermannus: De iuribus emitoris in re  
immobili contra nec domi judicialibus renegata  
occurrence libri III b. t. 6. art. 1 et 2. juris Lubecensis.

10. Schlemm, Dr. Iacobus Historicus : X. Discrimine inter  
locationem contractum Romanam et Germanicam  
in specie contractum officiale vulgo Meyer Contract.

11. Tiecke, Iacobus Albertus : De socio finium regaudorum  
agente.



1779, 1 4,356  
124 1

DISSERTATIO IN AVGVRALIS  
DE  
RESTITVTIONE IN INTEGRVM  
MINORVM EX CAVSA INDIVIDVA  
MAIORIBVS PROFICVA

---

QVAM  
AVSPICIIS REGIIS  
ILLVSTRIS  
ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRO  
SVMMIS IN IVRE CAPESENDIS HONORIBVS  
PVBLICE DEFENDET  
IOHANNES PETRVS CAROLVS BLAUEL  
ADVOCATVS IN SVMMO QVOD CELLIS VIGET TRIBVNALI  
IMMATRICVLATVS.

---

---

DIE XXXI. DECEMBRIS MDCCCLXXIX.

---

G O T T I N G A E,  
Litteris IOANN. CHRIST. DIETERICH.  
ACAD. TYPOGR.



VIRO  
ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
ERNESTO AVGVSTO  
DE SCHLEPEGRELL

AVGVSTISSIMI AC POTENTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE  
REGIS, S. R. I. ELECTORIS BRVNSVICO LVNEBVRGICI IN

SANCTIORI CONSILIO

CONSILARIO

SUPEREMI QVOD CELLIS FVLGET PROVOCATIONVM

TRIBVNALIS

PRAESIDI

LIBERIS

SUMMI TATIANI

PRO - PRAESIDIIS



VIRIS  
PERILLVSTRBVS ATQVE GENEROSISSIMIS  
DOMINO  
THEDELIO FRIDERICO  
DE WALMODEN

DOMINO  
FRIDERICO ESAIAE  
DE PVFENDORF

EIVSDEM  
SVMMI TRIBVNALIS  
PRO - PRAESIDIBVS

NEC NON RELIQVIS  
AVGVSTISSIMI ET POTENTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE  
REGIS IN EODEM CONSESSV

CONSILIARIIS

LONGE SPLENDIDISSIMIS GRAVISSIMIS  
AVGVSTISSIMAE VOLVNTATIS

IN  
ADMINISTRANDA PROMOVENDAQVE PER TERRAS  
ELECTORATVS HANNOVERANI

IVSTITIA

CVSTODIBVS SANCTISSIMIS

CAVSSARVM CONTROVERSARVM ARBITRIS SVPREMIS IVSTI  
AEQVIVQUE OBSERVANTISSIMIS

MAECENATIBVS AC PATRONIS  
SVIS INDVLGENTISSIMIS

AETERNAE VENERATIONIS OBSEQVII PIETATIS CULTV  
PROSEQVENDIS

CAROLVS BLAVER

HOC SPECIMEN IN AVGVRALE

AVGASTISSIMI ET PONTIFICIS MAGNAE DILECTIONIS  
REGIS IN EGOIN CONSERVA

DEVOTISSIMI GRATISSIMIQUE ANMI TESSERAM  
SACRVM ESSE VULT

LONGE SPLENDIDISSIMIS GRASSISSIMIS

MUNIN NOMIN TANTORVM

1

ADMIRABILIA POMONIANAGA IN EGYPTO

ELUCOTOMATA A MAMMOLYANI

IASITIA

CASIODORAS SANCTISSIMIS

CASSARIA CONSOLIDATA A MAMMOLYANI

EGYPTIAE OBSERVATIONIS

MAFFENIUS AC RATORIE

SATIS INDICENTISSIMIS

ANTRALIA AVENARIA OBSERVATIONIS

PHYSICOGRAPHICA

CVLTOR DEVOTISSIMVS

CAROLVS BLAVEL.



инициативой ИКТ

*Fransesca und ihre Tochter im Graben* (1812)

# CONSPECTVS.

CAP. I. Sistens principia generalia de effectu restitutionis  
in integrum respectu tertii.

- §. I. Notio restitutionis in integrum.
  - §. II. Eius fundamenta et speciatim minor aetas.
  - §. III. Restitutio minorum est remedium reale, ideoque tertio prodest.
  - §. IV. Casus, quibus hoc fiat.
  - §. V. Quatenus heredibus pupilli proficit?
  - §. VI. Quatenus singularibus successoribus?
  - §. VII. De fideiustore minoris qui ob aetatem intercessit.
  - §. VIII. De fideiustore, qui simpliciter fidem interposuit.
  - §. IX. Quid statuendum, si de qualitate fideiustoris non constet?
  - §. X. De restitutione maiorum ob individuatatem generatim.

## CAP. II. De individuitate generatim.

- §. XI. Extensio restitutionis in integrum, in causa fuit, et  
inveniatur doctrina de rebus individuis.

§. XII.

## C O N S P E C T V S

- §. XII. Notio indiuidui.
- §. XIII. Differt ab indiuiso.
- §. XIV. Indiuiduum est, vel sua natura:
- §. XV. Vel dispositione hominum.
- §. XVI. Quorum diuersus usus.
- §. XVII. Multiplex indiuiduorum in iure usus.

C A P. III. De effectu indiuidui, in materia restitutionis in integrum.

- §. XVIII. Notio indiuidui applicata ad restitutionem in integrum.
- §. XIX. Restitutio ob indiuiduitatem, quae pertinet ad generalem clausulam praetoris.
- §. XX. Restitutio minorum, quae ob indiuiduitatem maioribus proficua est.
- §. XXI. Et quidem litis confortibus maioribus.
- §. XXII. Quando hoc fiat.
- §. XXIII. De arbitrio iudicis in hac materia.
- §. XXIV. Quatenus seruitutes ad res indiuiduas referendae?
- §. XXV. De iuribus
- §. XXVI. De pignore et hypotheca.
- §. XXVII. De praescriptione.
- §. XXVIII. Quo modo procedendi maior cum minore restituatur.
- §. XXIX. Si persona mystica ad exemplum minoris restituitur, num id tertio ob indiuiduitatem vtile esse possit?

PRO-



## PROOEMIVM.

**E**x illis capitibus iuris ciuilis, quae vt vni eorum pri-  
mitias studiorum dicarem, a Viris doctis atque fauto-  
ribus mihi proposita fuerunt, hoc elegi, quod rubrum Dis-  
sertationis indicat.

Cum autem grauitas huius thematis et difficultates cum  
elaboratione eius coniunctae, arrogantiae speciem prae-  
ferre et vestigia ingenii nimium sibi tribuentis prodere, videri  
possent; necessarium duxi, instituti rationes, atque caussas,  
quae vt negotium arduum fusciperem, me permouere potue-  
runt, paucis exponere. Negotiis forensibus enim destina-  
tus, illud genus disquisitionum, quod in elaborandis qua-  
stionibus, quae in caussis agendis nullam vel minimam pra-  
bent vtilitatem, quaeue mera Romanorum sapienti instituta  
antiqua, versatur, a fine meo alienum putavi. Ea autem  
iuris capita, quae vsui moderno proprius inferuiunt, partim  
ita sunt comparata, vt vltior eorum perscrutatio superflua  
videri possit, partim vero ita sunt neglecta vel minus accu-

A

rate

rate tractata, vt frustra quaeras principia artis eius decisioni inferuentia, posita atque enucleata.

Ex vltima classe illud argumentum, quod mihi elaborandum sumsi, esse videtur. Quis vsum practicum illi negare audebit? Quis ignorare vero potest, pauca exstare in commentariis doctorum ad illud pertinentia et non semper ad vera principia illud esse reuocatum.

Longe vero a me abest, vt crederem hoc demum a me esse factum, et thema, quod aliis grauissimum videbatur, nunc exhaustum fore et absolutum; sed oro atque rogo letores beneulos, ne nimium a iuuenili labore velint exspectare. Collecta sunt in hoc specimine, quae de themate meo alii ante me dixerunt; coniunctae cum his qualescunque meae meditationes, et sic efficere studui, vt non ita multae paginae, in systemate et compendio exhiberent, quae antea in voluminosis libris inueniebantur dispersa atque dilacerata.

Iam itaque compello aequos iudices, ne feuere diiudicare velint hasce primitias, sed vt indulgenter eas examinare haud dedignantur.

CA.

## CAPVT PRIMVM.

### SISTENS PRINCIPIA GENERALIA, DE EF- FECTV RESTITUTIIONIS IN INTEGRVM RESPECTV TERTII.

#### §. I.

**R**estitutio in integrum, de cuius singulari et in dubium saepe vocato effectu, hoc specimine agendum, in sensu speciali, quo hic venit, est *beneficium iuris, vi cuius negotium, ob laesionem interuenientem auctoritate judiciali rescinditur, ex causa legibus probata a).* Intelligitur itaque restituzione tunc opus non esse, cum negotium contra iuris regulam initum, per se iam corruat et effectu caret ordinario b). Quod generaliter verum est, nisi remedium quod ade-

A 2

rat

a) Omitto explicationem *restitutionis* longe sumto vocabulo, quo non solum omnem denotat in pristinum statum reductionem causae civilis, sed etiam in criminalibus quandoque adhibetur, vbi vel ex causa iustitiae, vel gratiae reus a molestiis liberatur iudicii criminalis. Videantur haec pluribus apud LAVTERBACH. Collig. theor. pract. L. 4. T. 1. §. 2. 3. 4. Interdum vox *restitutionis in integrum* adhibetur etiam de remedio contra sententias judiciales suspensio.

Conf. de PUFENDORFF Proces Brus. Lunc. P. IV. C. 4. §. 1. 2. quae cum nostra restitutione nullam habet similitudinem.

b) Dicitur exinde remedium extraordinarium vel subsidiarium, quamvis haec denominandi ratio etiam exinde descendere videatur, quod apud Romanos, non quilibet magistratus facultatem restituendi habuit, sed in tantum, cui praeter iurisdictionem, datum est mixtum imperium. Quod Romanorum institutum optime docet VOETIVS in comment. ad ff. L. 4. T. 1. §. 2.

4 CAP. I. SISTENS PRINCIPIA GENERALIA

rat ordinarium, vel difficilis sit applicationis, vel pinguior restitutio et longe utilior instituenti, quam alterum inueniatur c).

Plurima restitutionum genera, praetori debentur romano, aequitatis et iuris benignioris, inuentori ac promotori, qui mediante ea, optime iis succurrit, qui vel ob defectum iudicij lapsi vel regulis praeceptisque iuris stricti fuerunt oppresi. Sed interdum aequitas reductionis in pristinum statum tam clare apparuit, ut nec conditores stricti iuris fugere potuerit; inde est quod leges ipsae non raro indulgent eiusmodi auxilium; cuius rei exemplum praebet rescissio ob laesionem enormem, cum caeteris, quae ne instituti egrediar fines hic fuerunt omittenda d).

§. II.

Cum *restitutiones* sua utilitate ac commoditate se valde commendent, facile est ad animaduertendum, non vnumquemque ex quavis causa ad earum admitti auxilium, sed docendum ante omnia fundatum, et probandum esse causam legibus proditam; haec enim si deficit iudex implorantem recte repellat, et secundum ius strictum lites decidere studebit. Iam vero non attinet, omnes narrare causas legales restitutionum e), quarum recensus hic exspectari non potest;

c) Apprime et doce suo more hanc questionem absolut BERGER *Oecon. Iur.* p. 639. et 413. MEVIVS Decis. P. 7. dec. 286.

d) Discremen practicum inter restitutiones praetoriales atque ciuiles, huiusque species nemo accurasier doceat f. STRYKIO in *vsi moderno Pand.* L. 4. T. I. §. I. qui nec minus vsum huius distinctionis apud Germanos masculine defendit.

e) BERGER *Oecon. Iur.* L. 3. T. 15. Thes. 9.

poteſt; ſed in vniſo ſubliſtam fundamento, puta minori aetate, quae reſtitutio ſine omni dubio a Praetore inuenta et deinde quotidiano fori vſu eſt approbata. Iuris enim benignioris praecepta omnino iubent, minori tunc cauſam ſuam reſtitui, eumque indemnem ſi fieri poteſt feruari, cum facilitate et incuria aetatis vel etiam malitia aduerſarii fuerit laeſus atque deceptus. Non opus eſt verboſo com-mentario demonſtrare, hanc aequitatem in legibus poſtea agnitar, cum nemo dubitari aūſus ſit, minoribus competere hoc beneficium. Nec magis iuuat, requiſitiſ huius reſtitutionis, quae ex compendiis et commentariis ICtorum nota ſunt, diutius immorari; ſed propo-nendae ſunt in hac generali tractatione, quaeflitiones partim minus de-terminatae, partim incertae, quae autem in decisione thematis, vtramque faciunt paginam.

## §. III.

Sic de qualitate huius remedii quod minoribus competeſe noſci-mus, follicite ac docte ſolet diſputari, et praecipue eo redire videtur finis omnis diſputationis, vt euincatur, vtrum *reale* ſit, vtrum *personale* reſedium reſtitutionis in integrum. Pro vnaquaque ſententia ſunt Doctores, qui alienis non indigent laudibus. Sic *remedium realē* cre-dit *cocceiif) personale* e contra *vinnivsg), LAVTERBACH h)* aliique. Immo media adsunt, qui ingrediuntur via, reſtitutionem in integrum minorum, reſendum mixtum appellantes *i).* Si di-

A 3

cen-

f) In iure controv. L. 4. T. 1. qu. 7.

g) Seleſt. quaeſt. L. 1. c. 2.

h) Colleg. theor. praed. L. 4. T. 4. §. 18.

i) VOET in commentar. ad Pand. L. 4. T. 4. §. 38. FLEISCHER de minorum reſtitu-tione in integr. litis conſortibus maioribus proſcua (Erford. 1724.) §. 6.

## 6 CAP. I. SISTENS PRINCIPIA GENERALIA

cendum quod in hoc dissensu mihi videatur, ad fundamentum distinctionis respiciendum credo. Quod si enim ab obiecio, contra quas nempe detur personas restitutio, deriuatur, vix dubitari potest, quin sit *remedium personale*, cum via ordinaria non detur contra tertium, sed contra laudentem <sup>k)</sup>. A subiecio autem cui datur restitutio, rectius *reale* dixeris; nam conceditur non solum ipsi minori sed etiam heredibus eius et singularibus successoribus <sup>l)</sup>. Vocantur autem iura singularia tunc realia, cum transeunt ad successores. Neque obstat principium iuris, *quod non detur nisi minoribus*. Nam priuilegium quod minoribus concessum, porrigitur in maiores ab eis que retinetur, quamuis ex sua persona illud numquam habere potuissent. Quo evenit, ut eodem modo, eodemque tempore illo vtantur, quo apud antecessorem suum antea fuisset. Nec dici potest ipsum priuilegium in heredes non transire, sed effectus et ius ex eo quaesitum, quia leges allegatae, ad personas heredum priuilegium ipsum expresse extendunt; deinde et hoc accedit, quod successoribus illud competit etiam ante declarationem minoris, qui suo iure numquam usus fuit. Qui *mixtum priuilegium* dicunt, ad id maxime provocant, restitucionem minorum non prodesse extraneis ultra heredes et successores singulares, atque exemplum vrgent hoc: cum minor alicuius mandato negotium gesit, ex quo mandans laesus est, mandanti maiori non datur contra gestum, restitutio in integrum, ex per-

<sup>k)</sup> Interim nonnumquam contra tertium adhibetur; casus hue pertinentes expendit LAV. TERBACH Collég. theor. præf. L. 4. T. 4. §. 24. BERGER Oeconom. Inv. L. 3. T. 15. th. nro 7.

<sup>l)</sup> Eodem modo distinguit HOEPFNER de effectu restitutio*nis in integr. quoad fidei ins-*  
*sorem.* (Giesl. 1771.). §. 2. Schol. I.

persona minoris. Sed non magis obstat hoc, quam alia eiusmodi exempla, nam lex *m*) ex qua illud desumtum nos docet, hoc casu nec ipse minori esse succurrendum et aetatis beneficium concedendum. Quodsi itaque nullum ius minoris adest, nulla quoque in illud cogitari potest successio *n*). Generalis ergo regula est: quoties minor ipse gaudet beneficio restitutionis ob minorem aetatem, toties cuncti, qui vel in omnia vel in quaedam singularia eius succedunt iura, eadem gaudent restitutione, eodemque modo ab ea excludi nequeunt.

## §. IV.

Cum itaque vidimus restitutionem minorum etiam tertio prodesse, quamvis sit ipse maior, etiam ratio erit perpendenda, qua illud accidere possit, et castis accuratis euoluendi, in quibus maiori perinde consulatur, ac minori cuius sustinet personam. Hoc nempe si maior cupid, necesse est ut demonstrare possit, 1) se in negotio aliquo, vices sustinere minoris, et cum illo pro una haberi persona, vel 2) causam suam ita esse comparatam, et interesse eius ita coniunctum, cum negotiis minoris, ut huic per restitutionem in integrum consuli nequeat, nisi idem sibi concedatur beneficium. Vi illius principii restitutio minoris eiusque effectus, prosunt heredibus minoris aequae ac singularibus successoribus et fideiussoribus; vi huius admittuntur ad beneficium aetatis litis consortes maiores, ob causam individuam, quae impedit, quominus minores soli possint restituiri.

Quam-

*m*) L. 18. § vlt. l. 19. ff. de minoribus.

*n*) Ita ratiocinatur VOET commentar. in ff. l. c. §. 41.

Quamvis ultima positio, eiusque accuratum examen, ad finem proprium huius dissertationis pertineant, tamen ordo et caussarum innata connexio postulare videntur, ut incidenter saltim etiam de prioribus agatur.

### §. V.

Heredibus minoribus restitutionem ex capite aetatis haud esse denegandam, si ex eius petatur persona, clarissime in iure nostro est constitutum o); adeo ut, ad eos transmittatur, quamvis a minore nondum sit petita. Circa rem ipsam, vix dubium esse potest, sed quoad tempus intra quod heredibus datur eius exercitium, accuratius est videndum. Distinguendum nempe est, num defunctus adhuc minor sit, utrum vero in minorenitate laesus, postea maior factus et intra quadriennium restitutioni concessum, mortuus fuerit. Priori casu heres omne praescriptionis tempus, i. e. quadriennium continuum habebit, et currere hoc incipit a tempore quo heres maior factus, aut si maior iam est, a momento hereditatis aditae vel petitiae bonorum possessionis; altero autem casu, nil nisi illud temporis, in heredem deriuatur, quod defuncto ipsi superfuit; eodem, quoad initium cursus huius temporis, seruato inter maiorem et minorem successorem discriminē p).

Offert se hac occasione illa etiam quaeslio, an substitutus admittatur ad restitutonem ex capite aetatis? ad quam decidendam SFORTIA ODDVS q), multas regulas, eorumque plurimas limitatio-

o) L. 18. §. fin. L. 19. ff. de minoribus.

p) L. 5. C. de temp. restit. in integr. SFORTIA ODDVS tract. de restit. in integr. (in tractatibus de rest. in integr. T. II.) P. I. qu. 50. art. I.

q) l. c. P. I. qu. 50. art. 2.

tiones voluminoso tractatu congesit, quae vero ita sunt coaceruatae, ut multitudine sua corruant et res indecisa maneat. Rem omnem sic compono: substitutus est etiam heres; quas ergo regulas supra de hoc tradidimus, etiam hic applicandae. Itaque quoties mediante substitutione substitutus fit heres minoris, toties ex eius persona aduersus laesiones in integrum poterit restitui, modo minor ipse habuerit idem auxilium. Vi huius regulae apparet substitutum vulgarem neutiquam esse restituendum, quamvis heredi minori, qui hereditatem adire non potuit vel noluit, sit substitutus. Nec minus eodem modo de reliquis speciebus, iudicium ferre potest, hac unica obseruata regula.

## §. VI.

Magis dubitari solet, num restitutionis commodum transeat in successorem minoris singularem. Veluti donatarius maior an ad eam possit admitti, respectu eius rei, in qua donator viginti quinque annis minor habuit beneficium aetatis. Hoc qui negant petitionem principii committere mihi videntur, dum ea ratione moti id faciunt, quod restitutio sit ius singulare personale <sup>r)</sup> cuius rei contrarium a me supra euiculum est. Affirmatiu ergo responsio, inter successorem singularem et vniuersalem plane non esse distinguendum, legibus earumque analogiae magis consentanea erit <sup>s)</sup>. Cui etiam illud

<sup>r)</sup> SFORZA ODDVS P. I. qu. 50. art. 3.

<sup>s)</sup> L. 24. pr. ff. de minoribus L. 24. ff. de administr. et peric. tutorum. quomodo autem successori singulari subueniatur, tamen iudices non indistincte restitucionem concedere possunt, sed per L. 24. §. 1. ff. de minoribus, monentar cauere, ne à omnia statim rescinduntur, fidei conuentioneerum nimis noceatur.

accedit, quod actiones ex persona defuncti in heredem transfeuntur, in legatarium quoque, qui sine dubio pro possesso singulari habetur, transire in iure nostro saepe est constitutum <sup>t)</sup>). Nec etiam refert, vtrum specialis cessio restitutionis a minore facta sit nec ne; nam hoc beneficium tamquam consecularium negotio principali inhaerens, ipso iure in omnes ut deuoluatur necesse est, qui in iura et obligationes licet particulares, modo ex eo prouenant negotio, succedunt. Hoc tamdiu obtinebit, quamdiu minor expresse hanc legem contractui non adiiciet, quod beneficium aetatis minime in successorem particularem transire debeat; quae autem protestatio cum ad naturalia negotii haud pertineat, sed illis potius aduersetur, numquam praesumitur <sup>u)</sup>), et donec adiecta probetur, successori singulari omnia iura minoris, ratione eius rei, competere intelliguntur.

### §. VII.

Iam videamus de effectu restitutionis in integrum quoad fideiussorem minoris. Quia in re accurate decidenda, necesse est, ut ante omnia separantur, restitutions minorum ex iure civili, ab iis quae ex iure honorario descendunt. Illae cum personae numquam habeatur respectus, semper fideiussori proficiae sunt, eodem modo, quo ipsi minori competitunt. Idem dicendum de restitutione praetoria, cuius fundamentum est caufsa maioribus et minoribus communis. Sic qui pro minori fideiussit, hoc ob metum, vim et dolum aduersarii restituto, effectibus iuuatur eiusmodi restitutionis.

Lo-

<sup>t)</sup> argum. l. 2. §. vlt. ff. si servitus vindicetur.

<sup>u)</sup> Hoc tamen, distinctio SFORZA ODDI l. c. art. 3. innuere videtur. Conf. etiam FLEISBHER l. c. §. 6. in fine.

Loquimur ergo in praesentiarum de eo tantum casu, quo minor ob aetatem fuerat restitutus, vbi iterum distinguendum est, an fideiussor intercedat pro minore qua tali, vt nempe aduersarius ob aetatem eius sit tutus; an vero intercedat tanquam pro maiore.

Priori casu numquam prodesse potest fideiussori restitutio debitoris minoris. Nam aduersario in hunc effectum promisit indemnitatem, a qua promissione ex post recedere non potest *w*); et iniquum foret, eum damnum incurgere, qui optime sibi prospexit et ob metuendam restitutionem in integrum, fideiussores sibi dari curavit. Ab hac generali regula nequidem tunc exceptio statuenda est, cum fideiussor efficacem regressum habet aduersus minorem, e. gr. si hic iurato indemnitatem fideiussori promisit. Contrarium enim qui statuunt *x*) ad aequitatem prouocant, legibus nec agnitam nec suffultam *y*). Unica quae hic admittenda videtur exceptio *z*), hacc est; quod fideiussor habeat fructum restitutionis, in casu, quo quidem ob aetatem intercessit, quo autem minor mediante restitutione eam exuit qualitatem, cuius intuitu fideiussorem dedit. Sic, qui fi-

B 2

deiu.

*w*) *L.* 13. *pr. ff. de minorib.* HOEPFNER I. c. §. 7.

*x*) BRUNNEMANN in *Comment. ad Cod. ad 2. r. C. de fideiussor. minoris.* FLEISCHER I. c. §. 8. qui pro sua sententia profert arg. *l. 10. §. 12. ff. mandati* nil probans.

*y*) Videatur HOEPFNER I. c. §. 38. Illud autem ex antecedentibus patere credo, fideiussorem qui ob aetatem intercedit, liberari, cum minor ex causa communi est restitutus.

*z*) Pro exceptione enim haberi nequit, quod fideiussor restituatur, qui heres minoris existit. Separanda est nempe duplex eius qualitas. Excluditur qua fideiussor; admittitur vero heres. *L. 95. §. 3. de solutionibus.*

deiubet pro minore procuratore, restituitur cum minore qui contra suscepsum mandatum pristinum recuperauit statum *a)*.

### §. VIII.

In altero casu quo fideiussor simpliciter spondet et sine iuri praetorii respectu, dicendum est, eum cum minore restituto, simul esse restituendum.

Suadent hoc, tam iuri analogia, quam legum expressa sancta *b)*. Certissimi enim iurius est *c)*, exceptiones principalis rei, fideiussori etiam proficere, maxime si exceptiones realibus sunt adnumerandae, quo et exceptionem restitutio[n]is pertinere, supra evictum est. Deinde fideiussiones stricti sunt interpretandae, qui itaque simpliciter spondet, id in eum casum facere videtur, quo debitor fidem datam implere negavit; hic autem casus tunc non adest, cum minor aduersus negotium initum est restitutus *d)*. Nec dubium mouere potest *l. 2. C. de fideiussor. minor.* Loquuntur enim imperatores de eiusmodi casu, quo fideiussorem quis acceperat, respectu aetatis, de quo in §. antecedente iam diximus.

Non

*a)* L. 51. pr. ff. de procuratorib. vid. LAVIERBACH colleg. theor. pract. L. IV. T. 4. §. 20.

*b)* L. 89. ff. de acquir. vel omittenda hereditate l. 51. ff. de procurator.

*c)* L. 7. §. 1. ff. de exceptionib. L. 37. ff. de fideiussoribus.

*d)* Optime rationes subducit laudatus HOEPFNER l. t. §. 9. seq. Caeterum plurimi Doctorum statuunt regulariter nec hic fideiussorem liberari Vid. VOET Comment. ad ff. lit. de minoribus §. 39. FLEISCHER l. c. §. 8. etc.

Non possum non, hac occasione singularem notare opinionem  
 TITII e) qui credit ob beneficium ordinis fideiussorem hodie semper  
 esse securum, cum hoc iubeat, ne fideiussor ante principalem debitorem  
 possit conueniri, quae autem exequio principalis ob restitutionem in  
 integrum est impossibilis. Sed cogitare debuisset acuti ingenii vir; exceptionem  
 ordinis tunc euancescere, cum debitor principalis soluendo non  
 est, aut cum per legum sancta nullo modo conueniri potuit.

## §. pl. IX.

Quid autem si parum constat, vtrum fideiussor ob aetatem et  
 inde metuendam restitutionem in integrum intercesserit, an vero sim-  
 pliciter fidem suam interposuerit? Neutquam in hoc rerum conflictu  
 asslere audeo, prius esse statuendum in casu dubio f). Sed ante omnia  
 ad eam circumstantiam respiciendum puto, num creditor sciuerit con-  
 trahentem esse minorem, nec ne. Hoc casu intercessio nunquam ob  
 aetatem sieri potest, de qua ne quidem cogitatum fuerat. Illo si ex an-  
 tecendentibus negotiis nil apparet, potius dicendum est, fideiussorem sim-  
 pliciter interuenisse, ad illud damnum resarcendum, quod ex contractu  
 non impleto in creditorem redundat, et sic in dubio fideiussor fruetur  
 effectibus restitutionis in integrum. Quilibet enim ad minimum se  
 obligasse censetur.

Nec cum eis facere possum, qui distinguunt, vtrum minor sit  
 locuples nec ne, et in priori casu statuunt intercessionem semper ob  
 aetatem factam esse, quia alias fideiussore opus haud fuisset. Nam

B 3

saeppe

e) *In iure priuato*, L. 4. c. 16. §. 10. et L. 6. c. 20. §. 9.

f) Hoc tamen contendit DONELLVS in commentariis iuris civilis. L. 21. c. 14.

14 CAP. I. SISTENS PRINCIPIA GENERALIA etc.

saepe etiam maximis diuitiis fulgentes, ad incitas mox rediguntur,  
eaque ex causa necessitate adstringuntur, ad dandos fideiussores g).

§. X.

Restat iam ultimum fundamentum, mediante quo evenire potest, vt tertius restitutionis minorum sentiat effectus, puta si obiectum eius est res individua.

Cuius momenti accurrior disquisitio cum sit principalis finis huius speciminis, iam inquirendum est capite proxime insequenti, in naturam et indolem rerum individuarum et sic deinde effectus huius individutatis quoad restitutionem in integrum minorum erit perpendendus.

g) Ita distinguit HOEFFNER l. c. §. 9. Schol. 2.

CA.



**CAPVT SECUNDVM.****DE****INDIVIDVITATE GENERATIM.****§. XI.**

**C**um restitutionum vtilitas tam perspicua sit, non miremur, eius auxilium a Doctoribus saepe fuisse extensum, iisque non raro per indirectum tributum, qui ex verbis legum neutiquam ad illud adspicere poterant. Huc maxime ex parte pertinere videtur restitutio minorum ob caussam indiuiduitatis maioribus proficia. Praecipue enim haec in causa fuisse videtur, quod inueniatur doctrina de rebus indiuiduis, quae deinde in plures iuris articulos translata, proprium formauit systema quod multis litibus ansam praebuit. Antequam ergo de hac restitutionis extensione eiusque iusta applicatione, idoneum ferri possit iudicium, necesse est, vt ante omnia ideam generalem *indiuidui* quatenus in iure vsum habere possit, sedulo euoluamus.

**§. XII.**

Vox *indiuidui*, vel *indiuiduitatis* ipsa, si ingenue dicendum, in legibus haud occurrit, nec etiam consectaria ex eius notitone deducta, tam certe determinata inueniuntur in iure nostro, quam in libris Doctorum hoc factum esse intelligitur.

**In.**

Interim haec res pro mero figmento haberi, ideoque plane contemni, nequit, sed partim in natura rerum, partim in legum argumentis fundata reperitur. Iam ergo videamus, quid ICti sibi velint, dum non vnica occasione loquantur de rebus diuiduis atque indiuiduis, et vsum huius diuisionis anxie nobis commendent<sup>b)</sup>.

*INDIVIDUUM IN SENSU PROPRIO, EST RES, QUAE CUM NULLIS CONSET PARTIBUS, NULLAM QUOQUE ADMITTIT DIVISIONEM.* Statim apparet, hanc significacionem in iurisprudentia nostra omni carere utilitate; res enim omnes, quae obiecta iurium et obligationum esse possunt, ita sunt comparatae, ut partibus constant, et in eas dissolui possint. Quamvis enim res incorporales, interque eas *iura* huc referri posse videantur, quippe dum actualiter partibus non constant, diuisionis expertia sunt; tamen cogitari debet, *iura* numquam per se et sola considerari posse, sed aestimari illa ex coniunctione earum

*b)* Omni tempore doctrina de rebus indiuiduis a ICtis valde aestimata et inter gravissimas est relata. Simul autem videri licet, quomodo nimis prolixii commentarii et cupido res nouas tradendi, rem subtilem et per se obscuram, adhuc obscuriorem reddere potuerit. Tot enim regulis, ampliationibus et limitationibus repleuerint molem librorum, ut vix confusio euitari possit.

Praecipue huic themati euoluendo operam dederunt:

EQUINAR. BARO de diuiduis et indiuiduis obligationibus. Venet. 1576.

SCIP. GENTILIS de diuiduis et indiuiduis obligationibus. Francof. 1600.

CAROL. MOLINAEV<sup>S</sup> Extricatio labyrinthi diuidui et indiuidui. Lugd. 1562.

NIC. CHRIST. LYNCKER de indiuiduitate 1684. et cum praefatione S. STRYKII Hal. 1702. Francof. 1711.

Noniores commentatores leviter tangunt hoc argumentum, sic ut nemo facile doctior discedat ex earum lectione. Videantur ex gr. COCCETI in iure controv. L. 4. V. 4. qu. 12. LAVTERBACH Colleg. theor. pract. L. 4. T. 4. §. 19. Alii uno verbo rem difficultem absoluunt.

corporalium rerum, quibus inhaerent. Hoc respectu *ius* tunc de-  
mum *individuum* in sensu proprio esset, si in eiusmodi re corpo-  
rali nobis competeteret, quae in partes suas dissolui nequit.

Progedior nunc ad sensum magis iuridicum et Doctoribus  
consuetum, quo *individuum* est *omne ens*, cuius *partes* ita sunt *unitae*  
et *coniunctiae*, ut *vtilitatem singulae praefare nequeant*; seu etiam *cu-*  
*ius partis vhus est nullus* *i).*

### § XIII.

Differunt autem res *individuae* ab illis, quae *res individuae* vo-  
cantur. Ita enim appellamus omnes res quarum *partes* *utiles* quidem  
esse possunt; quae vero nondum actualiter subierunt diuisionem.  
Harum in iure nostro saepe mentio facta est *k)*; sed cum in mate-  
teria *restitutionum* nullam praebant *vtilitatem*, merito omittitur hu-  
ius diuisionis vterior tractatio.

### § XIV.

Cum dixerim, rem *individuam* eam esse habendam, cuius par-  
tes ita sunt *unitae* vel *coniunctiae*, ut *singulae vtilitatem* *praebere*  
nequeant, exinde patescit duplex ratio, qua fieri potest, ut *partes*  
*vniantur* vel *inseparabiliter coniungantur*. Potest enim cogitari, quod

*ma.*

*Conueniunt haec cum definitio LYNCKERI l. c. cap. I. nro. 44.*

*FLEISCHER* l. c. §. 16.

*CARPZOV* *Process.* T. 19. art. 2. nro. 33.

*SFORZA ODDVS* *de restitutionibus* P. I. qu. 49. art. 4. nro. 12. art. 5. nro. 15.

*k) Interim leges non semper tam accurate distinguunt, sic in L. 17. ff. de seruitutibus  
per vocem *indivisum* illud ipsum indigitatur, quod *individuum* vocamus.*

*C*

natura omnium rerum genetrix et author, hunc nexus rebus indiderit, ne separatae vtilitatem praebere possint; vel homines per facta sua et per dispositiones circa res creatas, idem efficere potuerunt. Quaenam res sua natura pro individuis habenda generatim definiri nequit, sed respiciendum puto ad finem adque usum quem habere debet in casu substrato ista denominatio. Sic vbi agitur de eo quod iustum est circa venditionem rei individuae, vel eiusdem donationem, eo referri possunt, res quae sua natura individuae neutiquam sunt, vbi de effectu restitutionis minorum quoad maiores loquimur ob individualitatem. Fluit hoc ex idea individui. In uno enim negotio partes rei vtilitatem praebere possunt, cum in altero necessario requiratur, vt tota res in coniunctione omnium partium adsit, et vice sua fungantur. Interim facile largior ad meliorem cognitionem rerum diuiduarum et individuarum exempla earum colligi et proponi posse, ideoque operam eorum esse laudandam, qui curam suam huic rei impense dediearunt *l*); modo caueas exempla pro regulis habere, ex iisque male cohaerentia deducere principia. Regula sufficit haec unica: toties erit res individua, quoties pars eius in casu substrato eam vtilitatem praebere nequit, quae secundum naturam negotii exinde sperari poterat. Huius regulae autem plures dantur applicationes, et ampliationes *m*). Sic regulariter usus vti omnes

*l*) Catalogum rerum sua natura individuarum completum nec absolutum dare studuit FLEISCHER loco cit. §. 16.

Exempla individuarum ex omni iure, publico et privato desumpta, magno studio concessit LYNCKER in laudato opere *de rebus individuis*.

*m*) Ad extensionem individuarum pertinet, quod aliquando ea voce etiam comprehendantur res, quarum partes non quidem omni destituantur vtilitate, sed non tantum.

Omnes seruitutes inter res individuas refertur *n*); et iure hoc factum censeo, cum nullam admittat divisionem et necessitate videntis absolutatur; sed hoc ipso quod communis usus inter plures esse nequit, sequitur usum pro re individua haberi non posse, quando sermo est, de effectu restitutionis minoris, quoad maiorem ob individualitatem, nam impossibile est, minorem cum maiore constitutum esse in communione huius seruitutis. Aequali ratione de caeteris speciebus iudicari potest.

## §. XV.

Vbi per dispositionem hominum res pro individua habenda est, duplex ratio adesse potest; a) hoc sit per leglatorem, qui rerum quarundam interdixit divisionem. Huc ex iure Romano pertinet divisione instrumentorum ad fundum pertinentium, quae apud heredes permanent, cui fundus addictus erat *o*). Item res pupillares, quoad personam pupilli, durante minore eius aetate *p*); nec minus huc pertinere videntur omnes res illicitae ac turpes, quae in hereditate repertae, numquam inter heredes dividuntur; b) idem quoque efficere potest priuatorum voluntas, dum vel per ultimam voluntatem prohibent divisionem alicuius rei *q*), vel per paclum expressum et tacitum statuunt, ne divisione fiat contra eorum voluntatem<sup>r</sup>).

## C 2

## §. XVI.

talem praebent ac totum ipsum SFORZA ODDVS P. I. qv. 46. aet. 4  
nro. 12.

Hae definitione assumta, quis non videt, omnes fere res esse individuas?

*n*) L. 19. ff. de usu et habitat.

*o*) L. final. ff. de fide instrum. L. 5. 6. C. Famil. heredit.

*p*) l. 2. ff. de rebus eorum qui sub tutela.

*q*) Praecipue hoc fieri adsolet per fideicommissa familiae.

*r*) Conferat. LYNCKER l. c. cap. I. aphorism. 9. nro. 54-55. ELEISCHER l. c. §. 12.

## §. XVI.

Quamvis in plurimis articulis non differentia individua, quae natura talia sunt, ab illis quae dispositione hominum in hanc classem fuerunt posita, tamen quedam differentia remanere videntur. Quae enim ab initio ita sunt comparata, ut partium nullus sit usus, ideoque earum impossibilis sit diuisio, semper retinent hanc qualitatem, quae non finitur nisi rerum ipsarum interitu. Quae vero contra generis sui naturam et indolem hue pertinent mediante dispositione hominum, mutationem admittunt, sic ut post cessationem vim istius dispositionis, vel propter mutatam voluntatem, in plures partes separatas abire et possessoribus separatam utilitatem praebere possint.

Caeterum quoad effectus haec duae species neutiquam differunt, sed modo valida sit atque efficax ista dispositio vel principiis vel priuatorum, idem statuendum est, de rebus quae ciuiliter tales sunt, quam de naturaliter individuis.

## §. XVII.

Interim cum usus individualitatis per multa iuriis capita se exercat, neutquam exspectari potest, ut totum thema de rebus individualibus et diuidibus hic absoluatur; Sepositis ergo reliquis omnibus articulis quae eo dirigunt, unicum eligam et iam examinabo doctrinam famam et disputationibus Doctorum notissimam, quatenus nempe consortes maiores ob causam individualiam, in qua versantur cum minoribus, ad restitutionem eorum admitti vel saltim effectibus eius frui possint. Cuius rei disquisitio ad sequens caput erit ableganda.

CA-

## CAPVT TERTIVM.

### DE EFFECTV INDIVIDVITATIS QVOAD RESTITUTVIONES IN INTEGRVM.

#### §. XVIII.

Iam supra (cap. 2. §. 12) dictum est, per vocem *individui* in sensu speciali coque iudicico indigitari, omnes res, quarum partes ita sunt coniunctae, ut singulae utilitatem praeflare nequeant.

Quam notionem si restitutioni in integrum accommodamus, oritur exinde species, cuius unicum fundamentum est sola circumstantia, quod obiectum eius vel plane non recipiat diuisionem, vel eam quae laesioem, imploranti inferret.

Cum enim ad impetrandam restitutionem in integrum non sufficiat sola laesio, quae sine culpa laesi accidit, sed praeterea quoque speciale fundamentum sit docendum <sup>3)</sup>, quod vel in statu personarum vel in causa atque indole laesiois ipsa situm inueniatur, nemo ob individuatatem restituitur, nisi demonstrare possit, se laesum iri ob hanc rei qualitatem, se aditus ad praetoris auxilium ipsi precludatur.

#### C 3

#### §. XIX.

<sup>3)</sup> Causae restitutionum in legibus vel determinatae vel indeterminatae sunt et iudicis arbitrio maxima ex parte relatae. Accurate eas distinguit acque proposit **BERGER** Oecon. Iur. Lib. 3. Tit. 15. Th. 9. 14. 15.

## §. XIX.

Casus in quibus restitutions ob hanc rationem concedi solent, ad duo genera reuocari possunt. Primo enim, nexus individuitatis, in causa esse potest, cur aequitate suadente, alicui principaliter subueniatur, sic ut is qui eam impetravit, solus fruatur eius effectu; deinde interdum restitutio quae ex alio fundamento concessa erat, porrigitur in tertium, qui ex propria persona nunquam eam solus impetrare, vel ad eam adspicere poterat, nisi obiectum fuisse res individua.

Primam speciem, quae proprie huius loci non est, distinctionis accurioris causa adductam volo; nec opus est, ut eius explicationi diutius inhaeremus; certum est eam contineri in clausula generali praetoris quae recitat in L. i. in f. ff. ex quibus causs. maiores: *Si qua alia mihi iusta caussa videbitur in integrum restituam.*

Itaque quoties iudex animaduertet, per individuitatem aliquem sine culpa singulariter fuisse laesum, nec per eum sletisse, laesionem via ordinaria auertere, toties concedet hoc extraordinarium auxilium, quamvis in legibus eiusmodi casus haud sit expresse nominatus t).

## §. XX.

Altera species hic principaliter venit consideranda. Interdum nempe accidit, ut cum minor ex causa aetatis restituatur, is effe-ctus

¶ Quae eo veriora sunt, cum hodie iudices in concedenda restitutio in integrum, faciliiores esse soleant, quam Romani, iuris stricti cultores; et arbitrium eorum in diiudicatione vtrum adlit iusta causa nec ne, vnicum fere sit fundamentum. VOET in comment. ad Pandect. tit. ex quib. causs. maior. §. 9, 10,

ctus restitutionis ob naturam obiecti individui sentire non possit, nisi maior, qui ex propria persona ad hoc auxilium adspirare non poterat, simul admittatur.

Regulariter quidem soli minores et qui in eorum locum vel universaliter vel singulariter succedunt, effectibus fruuntur restitutionis in integrum uti capite 1, huius Diff. dictum est, et in lege vn. C. Si in commun. eademque causa, magis confirmatum est, quamvis illa minor pro portione sua restitutionis auxilium implorare posse, vobis tamen ad communicandum editio perpetui beneficium eius aetas patrouri non potest u). Idem fere repetitum est in L. 2. C. si unus ex plurib. appellav.

Cum ergo singulari prorsus ratione, in quibusdam casibus exceptio huius regulae sit facienda, sedulo ac diligenter erit inquirendum, quando id facere liceat; quod eo magis haud negligendum puto, cum istius exceptionis casus in legum verbis non inueniatur decisi, sed in argumentis ac rationibus earum, quae haud raro, interpretationibus Doctorum corruptae et nimis extensae reperiuntur v), sic ut principia, quando per indirectum tertius cum minore sit restituendus, difficile sint inuenienda.

## §. XXI.

v) CARPOV in Processu Tit. 19. art. 2. nro. 26. sequ.

v) Unicus author, qui hoc themu quantum scio principaliter excossit est Ioh. FRID. FLEISBHER in diff. saepius iam laudata. Sed regularum et limitationum horrenda multitudo, obstare mihi videtur certitudini, quae, ubi de iuribus agitur atque obligationibus exulare non debuisset.

## §. XXI.

Sic, ut huic exceptioni locus sit, primo requirunt quod minor cui-danda restitutio in integrum ex capite aetatis, habeat litis confortem maiorem <sup>w)</sup>; hic enim, si ipse minor esset, ob statum proprium admitteretur ad praetorium auxilium, nec commodo alieno vñquam indigeret. Habentur autem hoc loco pro litis confortibus in sensu generali, qui vel ex eodem fundamento vnaue actione conueniuntur, vel contra eos ex communi interesse intentae actioni sese opponunt <sup>x).</sup>

Ergo facile perspicitur, haud necessarium esse, vt confortibus litis omnia iura sint communia; nec vni competit, quod alteri prod-eesse intelligitur; sed distinguendum est, inter iura, quae rei communi adhaerent, et aequali ratione omnibus profundunt, atque ea iura et obli-gationes, quae ob personarum qualitatem, vni alterie competunt aut ipsis imponuntur. Illis nemo solus aut separatum perfri potest, sed litis consortio assumto, quod vni prodest, etiam alteri per naturalem consequentiam prodessere debet; Haec e contra personalia sunt, nec personam cui inhaerent facile egrediuntur.

Ad hanc classem restitutionem minorum recte retuleris, quae via ordinaria, vti monitum est, solis minoribus proficia, tertio nec nocere, nec prodessere solet.

## §. XXII.

w) HERM. PISTOR in Consiliis, Consil. 47. qu. 2. nro. 38.

BERLICH Conclus. practic. P. 2. dec. 180.

LAVTERBACH Colleg. theor. pract. Tit. de minoribus. §. 19.

<sup>x)</sup> FLEISCHER l. c. §. 9. ad consortium litis recte requirit, vt ex vna eademque causa dependens ius commune agendi, aut communis obligatio descendat. Potest enim adesse commune interesse, quamvis litis consortes non sint de quorum iure agituri. Idem iam notauit GABR. MVBDAEVS ad L. vnic. C. n. in communi eademque causa etc.

§. XXII.

Iam ergo ponamus obiectum restitutio*n*is, quae minori competeret intelligitur, ita esse comparatum, ut, nisi effectus eius ad maiorem litis confortem porrigitur, minor etiam commodo et utilitate eius carere debeat, tunc exceptio a regula laudata, summa nitetur aequitate.

Hoc autem tunc euenire videbimus, cum minor quod rem individuam petit restitutionem in integrum, quae ipsis et maiori erat communis. Verum quidem est, leges expressas non adesse, quae hanc exceptionem probent vel exempla eius contineant; interim tamen argumenta non obscure ex legibus deponita a ICTLIS asseruntur. Sic in l. 10. pr. ff. quemadmodum seruit. amitt. haec verba: Si communem fundum ego et pupillus haberemus licet uterque non viteretur, tamen propter pupillum et ego viam retineo. Deinde in l. 17. ff. de seruitutib. — viae, itineris, actus, aquae ductus pars, in obligationem deduci non potest; quia usus eorum indiuisus est. In priori lege clarissime constitutum est, quod maior ob personam pupilli retinere possit seruitutem, quam ipse ob nos usum amiserat; quia autem modus, quo hoc fiat, non sit determinatus, tuto concludere licet, hoc etiam tunc procedere, cum pupillo ius suum per restitutionem redditum est.

In altera, recensentur quaedam earum rerum, quae sic diuidi non possunt, ut quilibet separatis illis uti queat; si nunc coniungamus illas leges; haec regula exinde patebit; *quoties minor in causa indinuenda in integrum restituetur, toties proficia erit ista restitutio etiam lititis consorti maiori, qui ipse ins suum amiserat.* Apprime cum his conueniunt, quae ab **VLFIANO** asseruntur in l. 72. ff. de Verbor.

D *obligation* *to make* *obliges* *Obli-*

*Obligat. Stipulationes non dividuntur earum rerum, quae diuisiōnem non recipiunt; veluti viae, itineris, actus aquaeductus, caeterarumque seruitutum. In regula antea posita, nemo fere est, qui mecum non conueniat, quin omnes potius anxie eam inculcare studeant y). Sed certius est, hanc regulam ipsam obscuritate laborare nec sufficienter inde constare quando proprie restitutio minoris maiori proficia esse debeat. Agnouerunt alii hanc insufficientiam, et viam ingressi diuersam, per exempla et singulos proponendo casus, rem omnem explicare nituntur z).*

## §. XXIII.

Cum autem sola exempla non sufficiant ad demonstrandum usum huius restitutionis nil restat quam ut quaestioneum vtrum ad sit diuiditas nec ne, iudicis arbitrio relinquamus, non quidem illimitato ac libero, sed legum generalibus paeceptis, et naturae rei conformato. Hic itaque animaduertet, vtrum minoris ius conseruari possit per restitutio nem, quamvis effectus non habeat quoad maiorem; et tunc secundum regulam vulgarem, restitutio tertio nec nocere nec prodeſſe debet; vtrum vero res intermedia ita sit comparata, ne minoris laesio vlla ratione possit auerti, niſi maior cum eo ſimul restituatur. Hoc iudicis arbitrium in diuidicanda hac quaestione eo magis pro unico fundamento decisionis habendum puto, cum tota res ex legum argumentis explicari debeat;

y) Vide ſis regulam hanc in omnibus commentariis iure Cons. non ſolum, ſed ab aliis authoribus antiquis et modernis quoque commendatam; ACCVRSIUS ad L. viii. C. fi in vna eademque cauſa. MODEST. PISTOR Vol. I. confil. 47. qu. 2. n. 33. SFORZ. ODDVS de restitut. in integrum. P. I. qu. 46. W. A. LAVTERRBACH Collag. Theoret. praef. Tit. de minoribus §. 19. COCEII in iure controverſ. tit. de minor. quaefl. II. caeteraque.

z) Huc praecepitne pertinere videtur ſupra cit. FLEISCHER qui a §. 20. ad §. 33. ſuac diſertationis obiecta omnia diuidua euoluere et illustrare ſummo cum studio allaborauit.

debeat; quis autem temere negabit applicationem indirectam, quo et decisio secundum argumenta pertinet, totam religioni iudicantium esse reliquam?

Non quidem contempnendum est illud studiorum genus quod in euoluendis exemplis versatur, sed fiat hoc illustrationis causa, non vero ut regulae exinde abstrahantur; praeter enim generalem illam regulam iudices in decidendo nullam sequuntur, quamvis vnius normae, infinitae ad sint illustrationes infinitaque exempla.

Hac consideratione ipse operam dabo, vt illustriores casus, qui vulgo hic referuntur, paucis illustrem, et quateaus eiusmodi restitutio tertio sit proficia, demonstrem.

#### §. XIV.

Sic uno ore concedunt seruitutem esse rem individuam, eo respectu, vt si ex litis consortibus, minor restituitur, etiam maior inde emolumenntum habeat, maxime per L. 10. ff. quemadmod. seruit. anuit. L. 17. ff. de seruitut. et L. 72. pr. ff. de Verbor. Obligat. commoti a). Et verum est, seruitutem, maxime si eius exercitium praefstat, ita interdum esse comparatam, vt pluribus pro parte diuersa ratione consiliui nequeat, quo deinde evenit, ne unus ab effectu restitutions, quae alteri competit, excludi possit quamvis ex propria persona non competit b).

D 2

Neu-

a) ANTON. GOMEZ de restitut. in integr. nro. 10. (in Tractatib. de rest. in integr. T. IV. p. 180.)

b) Seruitus omnis salua individuitate inter plures hac ratione diuidi potest, vt dinerso tempore vtantur, sed de hoc casu non loquimur, quia eiusmodi personae, pro veris litis consortibus haberi non possunt. SCHILTER in prax. iur. rom. ex. §. 28.

Neutquam vero de omnibus seruitutum speciebus aequali ratione statui potest, sed ad obiectum earum respiciendum, num hoc ita comparatum sit, ut unus eorum, quibus seruitus competit, iure suo absque altero uti nequeat; num vero quilibet eorum separatum commodum persequi separatis remedii possit *c).* Facile ergo perspicitur, quaenam praecipue species seruitutum, ad individuas maxime pertineant; sic ususfructus ad res individuas refertur, quia unus sine altero, uti frui potest *L. 5. ff. de usufruct. L. 19. ff. de usu et habit. d.* eodem modo seruitus habitationis diiudicanda; nam et haec pro parte retineri atque exerceri potest sine omni socii interventu *e).*

Ob singularem usus naturam qui sola usuariorum indigentia absolvitur, generaliter contendi potest, eum semper pro re individua esse habendum; sed cum exinde etiam sequatur usum eundem pluribus sociis pro individuo competere haud posse *L. 19. ff. de usu habitat. evenit, ne unquam quaestio oriatur an maior cum minori restituatur;* quippe qui in exercito usus socii esse non possunt.

### §. XXV.

Sic de iuribus quatenus hoc verbum sumitur, pro morali facultate agendi vel non agendi, disputant, vtrum inter res individuas aut individuas sint referenda. Nec autem hic generaliter res decidi potest non ratiocinio, sed iure privato erit.

*c)* FLETSCHER I. c. §. 21. qui exemplo filicidii rem illustrat. TITIVS iure privato *L. 3. c. 13. §. 8.*

*d)* LYNCKER de individualitate §. 39. 40. Alii distinguunt inter usumfructum materialiter et formaliter sumptum; sive inter usus ususfructus et actualem fructuum perceptionem; illum individuum, hunc dividunt vocantes; FRANSKIVS in pandectis *Tit. de usufruct. accresc. iro. 20.* sed huic distinctioni opinio originem dedit, quod omnia iura pro rebus individuus sint habenda, quae sphae consequenti examinabitur.

*e)* FLEISCHER I. c. §. 23.

erit, sed ab obiecto eorum omnia dependent; quamvis enim *iura omnia* sensu generali divisionis nescia sint, tamen non sequitur, etiam in sensu iuridico, dividere ea non posse f).

Sic restituet iudex solum minorem, si iure suo solus et separatum  
uti poterit; tribueret vero et maiori idem auxilium, si ita comparatum  
esset, ne illa ratione minoris et maioris interesse separari queat.

Huc etiam referri potest *possessio* tamquam exercitium iuris. Haec imitatur naturam obiecti. Sic e. c. *possessio* est individualia, qua seruitus silicidii exercetur.

§. XXVI.

Summo iure, rebus individualibus adnumerantur *pignus* et *hypotheca*. Distinguendum vero est, inter plures socios creditores, et debitores. Illo casu, quilibet eorum sine altero partem suam legitimis actionibus perfecqui potest, ideoque iudex minorum solum restituet in integrum; hoc autem, evenit ut restitutio minoris maiori etiam proficia esse debat. Pignus enim totam rem afficit, et res onerata non liberatur, per partis crediti solutionem, nisi creditoris doceatur consensus tacitus vel expressus g). Loquuntur de hoc casu *L. 1. 2. C. de Iuitione pignoris. L. 3. C. de negot. gest. L. 59. ff. ad Sct. Trebell.* nec resert siue una siue plures res huic nexui sint obiectae. Quoties ergo minor mediante restituzione, partem suam liberavit, effectus eius in maiorem necessario redundare debent, quia alias res minoris eodem modo tenerentur, ac si ab initio concessa non esset h).

D 3 *Die Thesauri von oben* §. XXV.

f) Iura enim necesse est, ut cogitentur coniuncta cum personis aut rebus, ratione quartam competere intelligantur. FLEISCHER I. c. §. 13. 27.

g) LYNCKER I. c. cap. 3. sect. 3. aphor. I. nro. I. 2. 3.

b) Est tamen unica species pignoris, quod dinidum est, pura hypothecam tacitam lega-

Denique memoranda est *praescriptio*, quae utrum sit diuidua, utrum individua quoad hanc materiam non minus disputari solet. Qui omnia iura ad ultimam classem referunt, non haesitant, circa responsionem ad hanc quaestionem i). Sed cum in §. 25. viderimus, hoc neutquam ita procedere, etiam hic ad obiectum respiciendum erit. Id enim si pro parte retineri vel pro parte acquiri potest, restitutio minoris personam non egreditur; si autem eius natura nullam separationem et diuisiōnē admitit, maior ob minorem omnino est restituendus k). Plura exempla proponi potuissent, sed haec sufficere credo, ad demonstrandum, raro de una alterae specie *generaliter* dici posse utrum quoad nostram quaestionem, sit diuidua aut individua. Constat exinde, totam quaestionem ex circumstantiis maxime dependere, quas iudices nunquam negligere debent; et simul perspicitur loco omnium regularum esse iudicis arbitrium, qui accurate animaduertere debet, utrum ius minoris conseruari possit excluso maiore; an vero ob inseparabilem nexus et interesse coniunctum maior quoque admitti debeat.

### §. XXVIII.

Vbi constat minoris restitucionem dato casu maiori esse proficuum, disputari solet, quo modo procedendi hoc contingat; an necessarium esset, ut maior iudicem de nouo audeat, et sibi ob individuatatem quae-

adest  
tari; quae non competit nisi, in bonis eius heredis, cui iniuncta praefatio legati; quo casu etiam cessat applicatio regulae de communicanda restituzione FLEISCHER I. c. §. 3c.

k) Haec omnia WERNHER P. I. obser. 112. exemplo fatalium illustrat, docetque si minor contra lapsum eorum restituitur, videndum esse, an commodum sentire possit, etiam maiore praeclusu; an vero utriusque causa (objiectum litis) ita sit comparata, ne unus sine altero vila ratione restitui queat.

adest succurrentum esse doceat; utrum vero index proprio motu, restitutioonis effectus tertio competere, declareret. Cum maior nulla ratione ob proprium statum admittatur, sed ob solum minorem, eiusque commodum a suo haud separandum, facile largiri possumus, nec eius implorationem esse necessariam. Itaque non opus est, nouo processu, sed omnis res incidenter conficitur, sic ut maior contra aduersarium qui ius suum contra eum persequi intendit, opponat exceptionem restitutioinis, quam instanti sibiique proficiam esse, ex nexu individutatis demonstrat<sup>i)</sup>. Ad regulas vero consilii pertinet, ut maior ab initio preces suas cum imploratione minoris coniungat, maxime ad eum effectum, ut index flatim convincatur, de individuitate interessere, quod inter minorem et maiorem interuenit m).

## §. XXIX.

Notum est ex iure communii, ecclesiam, rempublicam aliaque corpora, ad iura minorum esse admissa, eamque ob rationem, etiam in integrum restitui n), tunc quaeri potest, an haec restitutio etiam litis confortibus eorum in causa individua sit proficia, eodein modo, quo de restitutioione minorum hactenus vidimus. Hanc quaestionem affirmare nullus equidem dubitauerit. Dependet enim tota doctrina, uti saepius dictum est, non ex legum verbis, sed potius ex earum argumentis, et analogia iuris; quoties erga eadem adest ratio, toties necesse est, ut eadem dispositio applicetur. Aequitas vero postulat, ut etiam iis subveniatur, tanquam minoribus, qui in genere iuribus eorum vtuntur, quamvis hoc fieri nequeat, nisi per indirectum tertius exinde emolumentum habeat atque commodum. Imo ulterius progrediendum censeo; et quoties maior qui ex sua persona ob legitimum fundamentum restituendus est, habet litis consortem, cui idem auxilium non competit, tamen et hic ad effectum restitutioonis admittetur, si obiectum eo modo diuidi nequit, ut quilibet separatum suam partem persequi possit.

i) SFORZA ODDVS I. c. P. 2. qu. 46. a. 7. et qu. 48. art. 10.

m) FLEISCHER I. c. §. 38.

n) Quenam persone mysticae habeant iura minorum optime docet BERGER Decon. iuris L. 3. tit. 15. thes. 15. n. 1.

THE-



**THESES.****I.**

**C**ollationi locus est inter filios descendentes non ascendentibus.

**II.**

*Actio pro socio non datur ad divisionem sed competit ad praefationes personales.*

**III.**

*Negotiorum gestor culpam levissimam praefat.*

**IV.**

*Querela inofficii testamenti, non est ipsa hereditatis petitio.*

**V.**

*Tacitum pignus, quod pupillis in bonis tutorum competit, heredibus eorum non datur.*

**VI.**

*In legatariis verbis tantum coniunctis ius ad crescendi non obtinet.*

32

Göttingen, Diss., 1779

ULB Halle  
008 563 705

3



4018



1779, 1  
4366  
129 1

DISSERTATIO IN AVGVRALIS  
DE  
RESTITVTIONE IN INTEGRVM  
MINORVM EX CAVSA INDIVIDVA  
MAIORIBVS PROFICVA

QVAM  
AVSPICIIS REGIIS  
ILLVSTRIS

ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRO

SVMMIS IN IVRE CAPESENTE

PVBLINE DEFENDET

IOHANNES PETRVS CARO

ADVOCATVS IN SVMMO QVOD CELLIS V  
IMMATRICVLATVS.

DIE XXXI. DECEMBRIS MD

GOTTINGA  
*Litteris IOANN. CHRIST. DI  
ACAD. TYPogr.*

